



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

Vita S. Gregorii Acritensis Ex Menæis Græcorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

NOTATIO.

EX ANT.
VINC.
DOMENEGCO.

sium Sacerdotio initiaret, et construendi monasterii crearet Abbatem. Rediit inde in Hispaniam Protasius cum suis, monasteriumque construxit, ac S. Germano dicavit, uti Carolus jusserat.

Ejus Abbates. 4 Multi ei loco post Protasium præfuerunt Abbates, Hembertus, Adasimundus, Amatus, Guntida, Blandericus, Adalardus, Aynardus, Raynardus, et Gondefrigus: hic ab *l* Agapito II, exemptionis diploma suo monasterio impetravit. Huic Pontius successit, qui monasterium vetustate nonnihil labefactum restauravit, sanctique Archangeli Michaelis patrocinio commisit, Guifredo Comite *m* Barcinonensi favorem in eam rem suum sumptusque peramplos præstante, qui tunc fere virorum Principum mos erat. Universa hæc in choro, ut vocant, basilicæ S. Michaelis Cusani asservantur, ex variis diplomatis, atque aliis certissimæ fidei monumentis a Vincentio Pisano collecta, quæ indubitata cœnobii illius antiquitatem testantur. Nam etsi sæpius reparati sint parietes, nomenque mutatum, eadem tamen permansit religiosorum hominum congregatio.

Hic reliquæ sunt S. Flami- diani Martyris. 5 In hoc porro nobilissimum cœnobium, atque omnium quæ in Catalaunia a prima institutione non interruptam retinere religiosam disciplinam, antiquissimum, S. Flamidiani Martyris sacra sunt exuvia deportata, præsens ad religiosi bravi prosecutionem incitamentum future. Is martyrio coronatus memoratur *n* xxv Decemb. ipso Christi natali die, quo ejus in Missa memoria agitur. At postridie Octavæ Innocentium festum ejus ritu duplici celebratur, atque ejus in officio et Missa recitatur nomen. At nihil extat præterea. Nam quas usurpant antiquas Lectiones, eæ nihil ad vitam pertinent, nudi Patrum sermones.

Hæc Domenecus, atque ex eo Antonius Yepes Chronic. Ord. S. Benedicti centur. 3, ad ann. 743, cap. 4.

a *Urgella, sive Urgellum, urbs est Episcopalis in Catalaunia ad Scorum, vulgo Segre annem.*

b *Hic Hildericus III fuit, qui deinde in monasterium retrusus.*

c *Pepinus Brevis, Rex deinde Gallorum.*

d *Confluentana sive Confluentinæ regio, Telhi fluvio irrigua, qui et Perpinianum oppidum alluit. In hac valle Prata oppidum visitur, atque ab eo hauri procul S. Michaelis cœnobium Cusani sive de Cuxano, Ordinis Benedictini, præclara, ut traditur, ecclesia ornatum.*

e *Hic est, qui Pomponio Melæ lib. 2, cap. 3, Thelis dicitur. Inde est ora Sardonum, inquit, et parva flumina Thelis et Thicis, ubi accrevere, persæva Ptolemæo tabul. 5, Europæ Rhuscion, alius Ruscion, hodie Tet dicitur.*

f *Et anno celebravit Carolus Domini natalem Aquisgrani, ut patet ex Annalibus Francorum ab Andrea du Chesne editis; priori anno Herbipoli. Sed manifestum, hic falli Domenecum in numero annorum, cum post eum annum non sit profectus Romam Carolus, nisi anno dccc, ad restituendum Leonem Papam. Potius anno dcccxxx, ad Carolum venisse Protasium crediderim, quo anno Rex natalem Christi Ticini celebravit, indeque Romam profectus est.*

g *S. Germani vitam dabimus xxxi Julii.*

h *S. Amatoris Autisiodorensis Episcopi vitam dabimus i Maii. Fortassis occurrit Protasius Carolo prius quam in Italiam intraret; et cum duorum Autisiodorensium Antistitum ab eo reliquias impetrasse dicatur, verisimile est, Autisiodori ab Episcopo ejus loci illas accepisse.*

i *Jam diximus, videri id accidisse anno dcccxxx. Adriani x, quo Romam voti solvendi gratia Carolus venit, ibique Pascha celebravit.*

k *Creatus est pontifex Adrianus anno Christi dcccxxxii, ix Februarii, obiit anno dcccxcv, die xxvi Decembr.*

l *Agapetus II, iiii Pontificatum anno Christi dcccclxvi, decessit anno dcccclxv, die xxvii Decemb.*

m *Hieronimus Zurita tomo 1, Anual. Arragonie lib. 1, cap. 8, tradit, Wifredum II, Barcinonensem Comitem anno dcccxii, obiisse, at cap. 9, Senofredum Miri filium, qui anno cmlxvii mortuus est, ait a quibusdam, licet perperam, Guifredum sive Wifredum appellari. Is est fortassis qui Pontii Abbatis conatus promovisse hic commemoratur: nisi id præstiterit Wifredus Comes Rhuscionensis, qui anno dcccclxxxii, vivebat, ut ibidem scribit Zurita.*

n *Nulla tamen in Martyrologio eo die nomen illius reperimus.*

TRANSLATIO SS. VICTORINI ABBATIS, LUCÆ, AMBROSII, PRIVATI, MONACHORUM.

V JANUARI.

Ferrarius in generali Catalogo Sanctorum pridie Non. Januarii ita scribit: Placentiæ in Gallia togata Beatorum Victorini Abbatis, Lucæ, Ambrosii, et Privati monachorum. Citat in Notis tabulas et antiqua monumenta cœnobii S. Sabini, atque extare lectionem, eorum die festo recitari solitam,

in qua de illorum translatione agitur; tempus vero quo vixerint ignorari: hanc esse translationis diem. De S. Sabino, sive Savino, Episcopo Placentino, a quo hujus cœnobii ductum nomen, agemus xvii Januarii, et xi Decemb.

VITA S. GREGORII ACREDITENSIS.

Ex Menæis Græcorum.

CIRCA

AN. CHRISTI

dcccxx.

V JANUARI.

S. Gregorii

patria et pa-

rentes. Peco-

ra pascit.

a

Patriam re-

linquit.

b

Abit Hieroso-

lyman.

Ignotus hic fastis Latinorum, ita celebratur in Græcorum Menæis: Traxit hic genus ex nobilissima Cretensium insula, religiosissimis parentibus Theophane et Juliana ortus. Cumque haud parum temporis litterarum studiis impendisset, jussus est a parentibus pecus pascere: sed ille jam olim caelesti desiderio incensus, relicta patria, a Seleuciam se contulit, et inibi non exiguo tempore, modico pane et aqua vitam toleravit. Sexto autem et vigesimo ætatis anno, (qua tempestate b Leo Imperator sacrarum imaginum hostis et eversor vitam abruptit, et Catholica religio respiravit, suæque libertati est reddita) Hiero-

solymam profectus, locaque sacra cum ingenti affectu veneratus, quam multa et gravia, cum ab Saracenis, tum Judæis, totis annis duodecim perpessus sit, literis tradi non potest ab eo qui epitomas dumtaxat et breviter sectatur.

2 Dein inde discedens, se Constantinopoli contulit: ubi sumpto c Angelico habitu, corpusculum suum abstinentia et jejuniis domuit. Postquam autem extincto d Stauratio e Michael imperium tenuit, et f S. Niphophorus Ecclesiæ gubernacula tractavit, missus est g Michael Confessor, h Synadorum Episcopus Romam ad sanctissimum i Pontificem. Hic Constantinopoli

Multapatitur.

Fit Monachus.

c

d e f

g h

i

cum

EX MEN-
SIS
GREGORUM.

k

cum B. Gregorio collocatus, secum illum, cum Roma redisset, ad sanctissimum cœnobium, quod est in k Acrita, duxit, illicque religiosus viris adjunxit: ubi unica contentus tunica, sine calcamentis, in storea ex junco contexta somnum cepit, et post biduum aut triduum aliquid panis et aquæ libavit, vel gustavit potius.

Austerissime
vivit.

l

3 Tum in altissimam fossam descendit, i ibique turbatum et miserabilem Ecclesiarum statum multis lacrymis longo tempore deflevit. Ex qua rursus emer- sus, angustissima se cella conclusit, unica pelle tectus, dolium, quod in horto stabat, aqua replevit; noctu abjecta tunica illud ingressus, ibi psalterium recitavit, rursusque egressus est: atque hoc tota vita sua factitabat. Cumque ita præclare pro æterna vita certasset, animam suam in manus Domini commenda- vit.

Noctu in
aqua stans
psalterium re-
citavit.

NOTATIO.

a Plures hujus nominis civitates legere est apud Ortelium, Ptole- meum, et alios. Videtur hæc esse vel Seleucia aspera dicta, urbs Metropolitana in Cilicia aspera, sub Antiocheno Patriarcha; vel Seleucia Pisiðie in Pamphylia, et ipsa Metropolitana, sine ullo ta- men suffraganeo: olim Antiocheno, deinde Constantinopolitano Pa- triarchæ subjecta. Seleuciam Pieriam arbitror tunc in Sarraceno- rum, cum vicina Antiochia, fuisse potestate.

b Mortuus est Leo IV Copronymi filius anno Christi DCCLXXX, susceptoque imperium Constantinus filius cum Irene matre, piissi- ma femina.

c Sic appellatur habitus religiosus. Ita Joannes Moschus in Prælo spirituali cap. 94. An necis, Domine frater, quia habitum Ange- licum fers? Ejus tradendi ritum ex Græcorum Euchologio expi- cat Rosweydtus noster in Onomastico ad vitas PP. verbo Schema.

d Stauratus Nicephoro patre Imperii consors adlectus anno DCCLXXXI in prælio contra Bulgaros, in quo Nice- phorus interit, multis affectus vulneribus. Imperio exatus a Pro- ceribus est, subrogato Michaelæ Cæropalate.

e Tenuit imperium Michael a v Octob. DCCLXXXI, usque ad mensem

Julium anni DCCLXXXII, Catholicus et piissimus Imperator, S. Ignatii Patriarchæ parens.

f S. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani gesta dabimus xiii Martii.

g S. Michaelis Confessoris festum agitur xxi Maii. De hac lega- tione agit Baronius Tom. 9 Annal. ad annum DCCLXXI, nu. 18, et seqq. sed non recte Sinnaculorum Episcopum Michaelē vocat, qui Syn- nadorum sive Synnadon fuit. Misit per eum ad Leonem III, Papam S. Nicephorus Patriarcha litteras de sua electione, fidei suæ profes- sionem, et munera. Extant ea apud Baronium loco citato litteræ, in quibus Michaelē vocat Patriarcha sanctissimum Metropolitan Sinnaculorum (imo Synnadon) Christo amabilis civitatis. Tum de eo hæc subdit: Erga vestram dilectionem valde ardentem et sincero amore afficitur, et in Ecclesiasticis rebus studiosum et alacrem se præbet; sicut et in sermone, et conversatione, ac virtute ce- teris antecellit. Exilii arumnarum fidei causa toleratarum non meminit. Quare quod in Menæis hic Confessor appellatur, id dici videtur propter ea quæ paulo post sub Leone Armeno perpe- sus est. Nam quod in Menologio xxi Maii dicitur, quia Leonis Isaurici hæresim redargueret, in exilium missus, intelligendum est de hæresi a posteris propagata: vel Isaurici pro Armeni posu- tum est. Quod Baronio occasionem præbuit scribendi ad annum DCCLXXXII, num. 2, eo tempore pulsus in exilium esse ab Isaurico Michaelē; quod anno demum DCCLXXXIV, contigit, ut ad eum an- num num. 32, scribit idem Baronius, licet restituat per Synna- don, Sinnaculorum. Sed qui nota est Sinnacula Metropolis? Ejus- dem Michaelis Synnadenis celebris est mentio in Nicæna II Syn- nodo, sive VII Œcumenica, quæ anno Christi DCCLXXXV, habita est. Plura nos de eo suo loco.

h Synada sive Synnada urbs est Phrygiæ Salutaris Metropolita- na, ut videre est in Notitia Episcopatum Auberti Mirari. Synna- nas quibusdam Latinis dicitur.

i Erat is Leo III, qui anno DCCLXXV, die xxvi Decemb. creatus Pontifex, obiit xii Junii, anno DCCLXXVI.

k Est Acrita apud Ptolemaum Tab. 1, Asie, Bithyniæ promon- torium, ad initium Propontidis. In eo arbitror fuisse monaste- rium, ad quod S. Gregorius deducit in Phrygiam revertens Mi- chael Episcopus: idemque arbitror esse, cujus Hegumenus sive Præpositus Sisinnius reperitur vii Synodo Œcumenicæ, sive Ni- cænæ II, subscriptisse Act. 4, licet isthic Ἐγούμενος Ἀγίας dicitur, quod in Latina Conciliorum editione veritur, Preses Aretes.

l Sub Leone Armeno præcipue, ad cujus extrema tempora, aut Michaelis Balbi initia (qui anno DCCLXX, ipso Christi natali Imperator est coronatus), videtur Gregorius pervenisse.

DE S. EDUARDO CONFESSORE

ANGLIÆ REGE.

§ I. S. Eduardi publica veneratio: res gestæ.

Celebris est S. Eduardi Angliæ Regis et Con- fessoris in Romano Martyrologio memoria Nonis Januarii, testaturque Baronius in Notis, extare in Bibliotheca Vaticana litteras Innocentii IV, Romani Pontificis de celebratione diei festi illius. Mem- nere et S. Eduardi Molanus hoc die, et Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuardum, Galesinius, Mar- tyrologium Anglicanum, et Germanicum, ac ms. Floran- rium Sanctorum. In hoc tamen iterum XIX Januarii memoratur. Fortassis eo die e terra illius elevatum est corpus anno trigesimo sexto post mortem, ut in vita cap. II, dicitur. Nam primaria Translatio, quæ sub Henrico II, est facta, celebratur xiii Octobris, ut infra dicemus.

2 Vitam S. Eduardi scripsit S. Aelredus sive Eal- redus, (de quo xii Januarii agemus) libris duobus, cujus id esse perhibetur initium: Multis veterum studio fuisse. Scripsit et carmine eandem vitam ad Laurentium Westmonasteriensem Abbatem:

Cum tibi, Laurenti, cogar parere. —

Item de Miraculis S. Eduardi: Rebus humanis exem- ptus. Ita Molanus, Pitseus, et alii. Vita tamen olim a Joanne Capgravo, et post a Surio edita, quam et nos dabimus, vulgo S. Aelredo adscribitur a Surio, Gale-

simio, Vossio, et aliis, uti et in ms. Rubæ vallis. Vitam quoque S. Eduardi scripsit Osbertus Clarentius Prior Westmonasteriensis, ejus ope a gravissima febre quar- tana liberatus, ut Harpsfeldius testatur. Guilielmus Cambdenus, cum Wiltoniensem Comitatum describit, hæc ex S. Eduardi Confessoris vita citat: Dum S. Ed- wardus monasterium B. Petri Westmonasterii mol- litur, Editha ejus uxor Wiltonie, ubi educata fuit, regio opere lapideum monasterium pro lignea ecclesia inchoavit, prosecuta affectum Regis affectu suo. Hæc ex Osberto sumpta sint, in alio auctore, haud scio.

3 S. Eduardi laudes prædicant et alii scriptores quamplurimi: Auctor coactaneus in Encomio Emma Reginæ, Guilielmus Pictavensis in gestis Guillelmi Ducis, Guillelmus Gemmetiensis in Histor. Norman. Ordericus Vitalis in Ecclesiastica Historia, Ingulphus Abbas Croylandensis, Eadmerus monachus, Wilhelmus Malmesburiensis, Florentius Wigorniensis, Henricus Huntindoniensis, Matthæus Westmonasteriensis, Rogerius Hovedenus, Ranulphus Cestrensis, Matthæus Paris, Nicolaus Harpsfeldius, Polydorus Vergilius, ac ceteri qui rerum Normannicarum atque Anglicarum commentarios edidere: ut mirum sit, neminem unum omnes illius res gestas stylo prosecutum. Nam Ealredus fere solum ea attigit, quæ ejus pietatem vitæque sancti- moniam testarentur; si quidem ea ab Ealredo scripta est vita quæ extat.

Laudatores
alii.AN. CHR.
MXXVI.
V JANUARIJ.
S. Eduardi
sanctus.

Translatio.

Vita a quo
scripta.